135
670
7z1k19

ORATIO

HABITA IN

SCHOLIS PHILOSOPHICIS,

QUARTO KALENDAS NOVEMBRES,

A RICARDO RAIKES,

COLL. JOAN. ALUMNO.

CANTABRIGIÆ,

TYPIS ACADEMICIS excudebat J. ARCHDEACON.

M.DCC.LXVII.

ORATIO

HABITA IN

SCHOLIS PHILOSOPHICIS, &c.

Monomachia in Republica benè conſtituta admitti non debet.

HAUD ſperandum erat, à politiſſimis et humaniſſimis omnium populis honeſtum et magnanimum aliquid vulgò æſtimari, quod rationi et communi ſocietatis bono prorſus adverſetur. Populares autem opiniones ſpretâ ratione conſuetudinem ſequuntur, temerariam cæcamque ducem, et plerumque ab ignorantiâ, ferocitate, aut alio majorum vitio exortam: cum tanta vis eſt antiquitatis, tanta exemplorum auctoritas, ut peſſimis Barbarorum moribus favorem, ſoli Virtuti debitum, conciliare valeat.

Gothorum gentibus mos fuit litem prope omnem ad arma deducere; quorum fortunam ſententia judicum ſe-

ſequebatur : enimvero immane hoc ſupplementum admiſerunt leges valde imperfectæ, et ſanguinolenta hominum bellicorum indoles à rationibus facillimè ad pugnam properavit.

Mox autem conſtitutis meliùs civitatibus æquiores adhibitæ ſunt judiciorum formæ, nec ab incerto armorum certamine ſanctiſſima tribunalis decreta diutiùs pependerunt.—Ad hodierna tamen tempora hunc morem majorum ſummâ nos tuemur pertinaciâ; nec tantummodo, ut illi veteres, gravibus commoti injuriis, ſed leviſſimâ tacti contumeliâ, propter unum forſitan verbum, iratè vel incautè miſſum, ad gladios et homicidium confugimus.

Adeo res rediit, ut jam arduum ſit, iis præſertim, qui ſe armis addixerint, à civili ſanguine abſtinere. Quos enim fortes et honeſtos appellat vulgus, niſi eos, qui de jactu aleæ, aut ſi quid futilius, rixantes amicum trucidare, conjugem viduam, parentemque orbum reddere non dubitarent?—Talis injuſtitia et crudelitas per Indorum ſolitudines licet ingraveſcant, ſed apud eos, qui politioris humanitatis ſtudia ſibi vendicent, prima ſocietatis jura honeſtè violari, portentum eſt vix credibile.

Congregati enim homines ex ferâ agreſtique vitâ, ut unuſquiſque non ſolis ipſius viribus, ſed totius reipublicæ tutus eſſet, injurias ſuas vindicandi licentiam depoſuerunt ſinguli, delectiſque à republicâ judicibus lites diſceptandas permiſerunt. Quicunque igitur vi propriâ ſuas

agat

agat controverſias, antiqui hujus pacti violator, et civili ſocietati infeſtus haberi debet.

At cum multæ ſunt injuriæ, et acerbæ quidem, de quibus leges ſilent, anne æquum eſt à viro poſtulare, ut inultus has prætermittat?—Si perſona, vel res, vel fama civis manifeſtè invadatur, præſens adeſt in legibus præſidium. Aliæ injuriæ in opinionibus potius quam in rebus ipſis verſatæ, definiri nequeunt; quippe major, vel minor eſt earum dolor, prout acutior, vel hebetior eſt patientis ſenſus.——Utrùm igitur hujuſmodi moleſtiæ tolerandæ ſunt, an propter has injuriarum umbras profliganda eſt violentâ cæde civium reſpublica?

Eſto autem injurias aliquas, tametſi legibus non obnoxias, haud eſſe tolerandas. Idcircone monomachiam invocabimus, eamque judicem conſtituemus, quæ nullam habeat juſtitiæ rationem, ſed nocenti ſæpe faveat, modo viribus corporis, armorumque uſu iſte ſit præſtantior?

Nequaquam vero dicatur monomachiam, utcunque civitati perniciosam, eſſe tamen hominibus neceſſariam: neque enim Athenis, aut Romæ, aut apud ullas iſtius ævi nationes ſimile quidquam increbuit: imo ipſi hodierni Turcæ cæterique Orientis populi morem hunc inhumanum deteſtantur, et in elegantiores hujuſce plagæ incolas homicidia hæc mutua relegârunt.

Quot, quantoſque viros, quot Britanniæ lumina immane hoc inſtitutum extinxit! Quoties ſceleratæ neci oc-

occubuit generoſus civium defenſor! Quoties, qui ob patriam pugnando multa tulit vulnera, viliore fuit quàm carnificis dextrâ obtruncatus! Iſtam enim fortitudinis ſpeciem criminibus ſuis obtentant turpiſſimi nebulones, quâ muniti bonorum vocem contemnunt, fidem rumpunt, injurias faciunt; et ſi quid offenſus queratur aliquis, vel fœda eorum facta inſectetur, iſtis prompta eſt reſponſio, " Detur Hora, Locus, Arma." Hac ratione omnia refellunt argumenta ſpectatamque præ ſe ferunt integritatem.—

Ferociæ tali ceſſit aliquando mitis et modeſti viri fortitudo. At qui civem trucidare timuit, cum patriis hoſtibus acerrimè dimicavit; dum gladiator iſte, quamvis arte ſuâ confiſus certaminibus haud æquis inclaruerit, tergum dedit in apertâ acie, et ubi pugnando opus fuit, ibi abjectis armis, proditâque patriâ æternam ſibi conſcivit ignominiam.

Abſit igitur, ut horum monomachorum palmæ habeantur magni animi documenta; quin illum potius fortitudinis laude nos proſequamur, qui populari opinione contemptuque major provocantis minas audiit et neglexit, qui offenſus iram continuit, et injurias ſibi factas condonare, quam ſtricto gladio vindicare maluit.— Morum autem inverſorum pudeat, quando vindicta pro virtute colitur, nec offenſus homo aliâ, quam humanâ victimâ expiandus eſt.—Ad miſericordiam nos inclinavit natura melior, additâque alieni mali ſocietate delicta alterius facilius præterire docuit: quam animi manſuetu-

dinem

dinem ſalvâ dignitate excoluerunt viri in pace et in bello maximi, nec majore gloriâ vindicarunt publicas injurias, quam privatas omiſerunt. Quotidiani hominis eſt ad vim confugere: patet iſta unicuique ultio. Nobilius ſimul et efficacius remedium à lenitate præbetur; nam ab improbo laceſſitus, decertando æqualis, negligendo eris ſuperior: ſin cum forti et ingenuo res agatur, iſtum humanitate tuâ victum offenſæ ſuæ pœnitebit, et inimici loco amicum tibi firmiſſimum obligabis. Accedet eodem jucundus ille ſenſus, qui oriatur ex tali victoriâ, non ab inimico ſolùm, ſed à teipſo etiam reportatâ. —Nec pudeat te falſi honoris violaſſe leges, nec vulgi formides opprobria, quæ, modo ſpernas, cito ſenties langueſcere: quin probus vitæ tenor, oblatæque occaſiones, vel patriæ, vel amicorum causâ ſuſcipiendi pericula, tibi veræ virtutis laudem ab omnibus extorquebunt.

Finge autem te interfecto viro contumeliam vindicaſſe. Magno quidem, ſi benigni ſis ingenii, conſtabit tibi hæc victoria. Eluſis enim legibus, non ſimul eludes homicidii conſcientiam, ſed in ſomnis aget, nec media inter convivia te deſeret imago illius, quem gladio tuo confodiſti.

Rident autem argumenta homines inſanâ conſuetudine abrepti, nec ſpes ulla reſtat remedii, dum impuniti toties abeunt homicidæ.——

Nos

Nos vero ad rempublicam eam confugiamus, ubi nulla mala inſtituta falſam honoris notionem civium animis inculcarunt, ubi cunctis injuriis, quoad fieri poteſt, à legibus conſultum eſt, ubi denique omnes, qui ſumptis armis ob privata jurgia pacem publicam violent, ſevera debent ſupplicia, et conſtantèr ſolvunt.

FINIS.

BIBLIOTECA MUSEUM